

2015 NJCL Advanced Prose Reading Comprehension Test

The passages for this test are printed on the last page, which you are permitted to tear off for easy reference.

Passage 1 (see page 5) — Caesar, *dē Bellō Cīvilī*, II.42**Caesar proelium in Africā dēscrībit**

1. cūr Curiō audīrī nōn potest?
A. quod aeger est B. cohortēs precantur C. nēmō intellegit D. ob tumultum mīlitum
2. quid igitur Curiō crēdit?
A. sē esse arbitrum C. spem omnem āmissam esse
B. rēs nōn esse miserōs D. ūnam spem salūtis manēre
3. quid cōnsiliū Curiō capit?
A. signa dēpōnere B. vīcīnōs collēs capere C. deōs precārī D. signa hostibus trādere
4. quid Curiōnem cōnsilium perficere prohibet?
A. equitātus Saburrae B. Curiō est occupātus C. uxor Saburrae D. nihil
5. quō modō igitur mīlitēs Curiōnis respondent?
A. ad summam collem currunt C. in castra perveniunt
B. dē vītā dēspērānt D. hostēs capiunt
6. quid mīlitibus fugientibus accidit?
A. dē equīs dēcadunt B. equitēs terrent C. interficiuntur D. capiuntur
7. quō modō aliī mīlitēs sē servant?
A. cantandō B. procumbendō C. latendō D. dormiendō
8. quis est Gnaeus Domitius?
A. frāter Curiōnis B. legātus legiōnis C. praefectus equitum D. Gallus perfidus
9. quid cōnsiliū Domitius Curiōnī persuādēre cōnātur?
A. ut hostibus cēderet B. ut in castra redīret C. ut amīcum quaereret D. ut spem relinqueret
10. quid Domitius Curiōnī pollicētur?
A. sē prōfectūrum esse C. sē hostem necātūrum esse
B. sē semper adfōre D. sē Caesarem monitūrum esse
11. cūr Curiō cōnsilium Domitiī recūsāt?
A. sē pudēbit, exercitū āmissō, Caesarem vidēre C. nūllam fidem in mīlitēs habet
B. cōnsilium Domitiī est bonum D. praemium ā Caesare accipere vult
12. quot equitēs Domitiī supersunt?
A. ferē omnēs B. nūllī C. plūrēs D. perpaucī
13. cūr aliī mīlitēs sēsē incolumēs in castra cōnferre potuērunt?
A. fortiter pugnāverunt C. celerrimē cucurrērunt
B. morātī sunt ut equōs curārent D. hostēs discessērunt
14. quot reliquī mīlitēs Curiōnis ultimō in proeliō pugnāntēs moriuntur?
A. ferē omnēs B. ūniversī C. omnēs praeter ūnum D. perpaucī

**Passage 2 (see page 5) — Valerius Maximus, *Facta et Dicta Memorabilia*, VIII.7 ext. 7
vīta et mors Archimēdis**

15. quō modō Archimēdes vītā vīxit?
A. ōtiōsē hiemāvit B. vīx vīnō abstinuit C. sē dīs dedit D. dīlīgenter labōrāvit
16. quō modō industria Archimēdī prōfuit?
A. lucrō comparandō B. mente hortandā C. vītā servandā D. Syrācūsīs capiendīs
17. quis/quid Syrācūsās cēpit?
A. Archimēdes B. Marcellus C. nēmō D. māchina Archimēdis ipsa
18. quid obsessiōnem Syrācūsārum diū extendit?
A. fames mīlītum C. victōria Marcellī
B. factūrae Archimēdis D. pertinācia Marcellī
19. quālis erat prūdētia Archimēdis?
A. īferior B. inhibita C. vulgāris D. īsignis
20. cūr imperātor vītāe Archimēdis pepercit?
A. quod crēdēbat sē Archimēde servātō dignitātem suam auctūrum esse
B. quod Archimēdes identidem obsecrābat
C. quod domus Archimēdis glōriōsa erat
D. quod Syrācūsae iam captae erant
21. quid faciēbat Archimēdes ubi mīles quīdam domum Archimēdis intrūpit?
A. fōrmās dēscribēbat B. dormiēbat C. oculōs lavābat D. animum recuperābat
22. cūr mīles domum Archimēdis intrūpit?
A. ut Archimēdem interrogāret C. ut domum spoliāret
B. ut scelus investigāret D. ut gladium stringeret
23. quid mīles domum ingressus statim comperīre volēbat?
A. ubi arma cēlāta essent C. cūr Archimēdes gladium nōn habēret
B. cuius domum intrāvisset D. quid Archimedes investigāret
24. cūr Archimēdes parum respondit?
A. quod senex et dēfessus erat C. quod manūs pulvere tectae sunt
B. quod mīlitem nōn intellēgit D. quod studium investigandī nimium erat
25. quid Archimēdī maximae curae erat?
A. nōmen mīlitis B. investigātiō C. imperium mīlitis D. cāsus Syrācūsārum
26. quid postrēmō fōrmās Archimēdis dēlēvit?
A. gladius mīlitis B. ventus maximus C. sanguis Archimēdis D. ārs mīlitis

**Passage 3 (see page 5) — Cicero, *prō Sextō Rosciō Amerīnō*, 69-70
Cicerō prō Sextō Rosciō dē parricidiō advocat**

27. quid Cicerō dē māiōribus Rōmānīs affirmant?
A. māiōrēs cēterīs prūdētiā praestitisse C. māiōrēs saepe in armīs contendisse
B. māiōrēs nōn intellegntissimōs fuisse D. māiōrēs meliōrēs armīs quam cōnsiliō potuisse
28. cūr Cicerō hanc sententiam dē māiōribus Rōmānīs crēdit?
A. quod cēterae nātiōnēs impiōs habuērunt C. quod cēterae nātiōnēs sapientiā caruērunt
B. quod Rōmānī nūllum supplicium habuērunt D. quod Rōmānī poenam dē parricidiō cōstituērunt

29. quid aliud affirmant Cicerō?
 A. māiōrēs Rōmānōs esse sapientiōrēs eīs quī sapientissimī habentur
 B. sapientissimōs omnium iampridem vixisse
 C. māiōrēs Rōmānōs moderātiōrēs quam cēterās nātiōnēs esse
 D. cēterās nātiōnēs impiōs nōn commemorāre
30. quāndō Athēnae fuisse sapientissimae trāduntur?
 A. nūper B. dum rērum potītae sunt C. paucōs annōs abhinc D. numquam
31. quis fuit sapientissimus Athēniēnsium?
 A. Cicerō B. nēmō C. Sōlon D. vir impius
32. quid effēcit ille Athēniēnsis?
 A. arcem mūnīvit B. multōs necāvit C. lēgēs pōsuit D. versūs scrīpsit
33. quod facinus ille Athēniēnsis **nōn** cōgitāvit?
 A. vim B. ambitum C. furtum D. parricīdium
34. cūr ille Athēniēnsis istud facinus nōn cōgitāvit?
 A. quod fatuus erat C. quod nēminem interrogāvit
 B. quod pūtabat nēminem id commissūrum esse D. quod parentem necāvit
35. quid dē istō facinore ille Athēniēnsis crēdēbat?
 A. hoc facinus esse perfacile factū C. hoc facinus haudquāquam malum esse
 B. sē istud facinus fortasse commissūrum esse D. poenā cōstituendā sē facinus admonitūrum esse
36. quid dē illō Athēniēnse omnēs parēs iūdicābant?
 A. illum sapienter fēcisse C. illum saepe mentīrī
 B. illum sapientiā carēre D. illum esse parum sapientem
37. cūr Cicerō dissēnsit?
 A. quod magnitudō maleficiī haud nimis erat
 B. quod multī Rōmānī istud facinus iam commīserant
 C. quod māiōrēs Rōmānī poenam excogitāvērunt quae hominēs ā facinore summovērentur
 D. quod natūra mala in hominibus nōn inest
38. quem poenam Rōmānī eī quī facinus huiusmodī commīsērunt dēstināvērunt?
 A. eum in culleum īnsuī et in flūmen dēicī
 B. eum nūllās poenās dare
 C. eum saxa in flūmen in perpetuum volvere
 D. eum in carcere retinērī

Passage 4 (see page 6) — Apuleius, *Metamorphoses: Cupid and Psyche*, 23

Iuppiter deōs omnēs convocat ut nuptiās pronūntiet

39. quem Iuppiter mittit quī caelestēs arcessat?
 A. pater Mercuriī B. deōs omnēs C. Mercurium D. nēminem
40. quō modō Iuppiter omnēs deōs cōgunt?
 A. nummīs dandīs B. praemiō offerendō C. verbīs blandīs D. poenā cōstituendā
41. ubi nōmina deōrum scrīpta sunt?
 A. prō sēde sublīmī B. in caelō C. in albō Mūsārum D. in theātrō caelestum
42. quis est “adolēscēns iste” quem Iuppiter alumnātus est?
 A. Mars B. Iuppiter ipse C. Mercurius D. Cupīdō

43. cūr adolēscēns iste impetūs calōrātos faciēbat?
 A. propter frēna B. ut sē coercēret C. quod erat fidēlis D. ob iuventūtem
44. quid adulteria et corruptelae adulēscētis efficiēbant?
 A. multam prōgeniem B. fābulās levēs C. ĩnfāmiam D. invidiam
45. quō modō Iuppiter vitia adulēscētis premere in animō habet?
 A. nūptiīs B. luxuriā C. manibus suīs D. fābulīs cōtidiānīs
46. quis est puella quem adolēscēns iste virginitāte prīvāvit?
 A. mātrem B. sorōrem C. Psychē D. Venerem
47. cūr Venus hōc mātrimonio nōn gaudet?
 A. quod filius modo puer est C. quod filius mortālem nūptūrus est
 B. Venus avia esse nōn cūpit D. quod trīstis semper est
48. quālēs nūptiās cōstituit Iuppiter?
 A. pārēs B. virginālēs C. illegitimās D. brēvēs
49. quis nūptam ad Olympum comitātus est?
 A. Iuppiter B. Venus C. Ganymede D. Mercurius
50. quid pōculō ambrōsiae sūmptō accidet?
 A. nūpta moriētur B. nūpta immortalis fiet C. nūpta dīgrediētur D. nūpta obdormiētur

Passage 1 — Caesar, *dē Bellō Cīvili*, II.42

Caesar proelium in Africā dēscribit

Curiō, ubi perterritīs omnibus neque cohortātiōnēs suās neque precēs audīrī intellegit, ūnam ut in miserīs rēbus spem reliquam salūtis esse arbitrātus, proximōs collēs capere ūniversōs atque eō signa īnferrī iubet. hōs quoque praeoccupat missus ā Saburrā equitātus. tum vērō ad summam dēspērātiōnem nostrī perveniunt et partim fugientēs ab equitātū interficiuntur, partim intēgrī prōcumbunt. hortātur Curiōnem Cn. Domitius, praefectus equitum, cum paucīs equitibus circumsistēns, ut fugā salūtem petat atque in castra contendat, et sē ab eō nōn discessūrum pollicētur. at Curiō numquam sē āmissō exercitū, quem ā Caesare fideī commissum accēperit, in eius cōnspectum reversūrum cōnfirmat atque ita proeliāns interficitur. equitēs ex proeliō perpaucī sē recipiunt; sed eī, quōs ad novissimum agmen equōrum reficiendorum causā substitisse dēmōnstrātum est, fugā tōtius exercitūs procul animadversā sēsē incolumēs in castra cōnferunt. mīlitēs ad ūnum omnēs interficiuntur.

Passage 2 — Valerius Maximus, *Facta et Dicta Memorabilia*, VIII.7 ext. 7

vīta et mors Archimēdis

Archimedes quoque fructuōsam industriam fuisse dīcerem, nisi eadem illī et dedisset vītam et abstulisset: captīs enim Syrācūsīs Marcellus, etsī māchinātiōnibus eius multum ac diū victōriam suam inhibitam sēnserat, eximiā tamen hominis prūdentīā dēlectātus ut capitī illīus parcerētur ēdixit, paene tantum glōriae in Archimēde servātā quantum in oppressīs Syrācūsīs repōnēns. at is, dum animō et oculis in terrā dēfixīs fōrmās dēscribit, mīlitī, quī praedandī grātia domum inrūperat strictōque super caput gladiō quisnam esset interrogābat, propter nimiam cupiditātem investīgandī quod requirēbat nōmen suum indicāre nōn potuit, sed prōtēctō manibus pulvere 'nōlī' inquit, 'obsecrō, istum disturbāre', ac perinde quasi negligēns imperiī victōris obruncātus sanguine suō artis suae līniāmenta cōnfūdit. quō accidit ut propter idem studium modo dōnārētur vīta, modo spoliārētur.

Passage 3 — Cicero, *prō Sextō Rosciō Amerīnō*, 69-70

Cicerō prō Sextō Rosciō dē parricidiō advocat

itaque cum multīs ex rēbus intellegī potest maiōrēs nostrōs nōn modo armīs plūs quam cēterās nātiōnēs vērum etiam cōnsiliō sapientiāque potuisse, tum ex hāc rē vel maximē quod in impiōs singulāre supplicium invēnerunt. quā in rē quantum prūdentīā praestiterint eīs quī apud cēterōs sapientissimī fuisse dīcuntur cōnsiderāte. prūdentissima cīvitās Athēniēnsium, dum ea rērum potīta est, fuisse trāditur; eius porro cīvitātis sapientissimum Solonem dīcunt fuisse, eum quī lēgēs quibus hodiē quoque ūtuntur scrīpserit. is cum interrogārētur cūr nūllum supplicium cōstituisset in eum quī parentem necāset, respondit sē id nēminem factūrum putāsse. sapienter fēcisse dīcitur, cum dē eō nihil sāxerit quod antea commissum nōn erat, nē nōn tam prohibēre quam admonēre vidērētur. Quantō nostrī māiōrēs sapientius! quī cum intellegent nihil esse tam sanctum quod nōn aliquandō violāret audācia, supplicium in parricidās singulāre excōgitāvērunt ut, quōs nātūra ipsa retinēre in officiō nōn potuisset, eī magnitudīne poenae ā maleficiō summovērentur. īnsuī voluērunt in culleum vīvōs atque ita in flūmen dēicī.

Passage 4 — Apuleius, *Metamorphoses: Cupid and Psyche*, 23

Iuppiter deōs omnēs convocat ut nuptiās pronūntiet

sic fātus iubet Mercurium deōs omnēs ad cōntiōnem prōtinus convocāre ac, sī quī coetū caelestium dēfuisset, in poenam decem mīlium nummum conventum īrī prōnūntiāre. quō metū statim complētō caelestī theātrō prō sēde sublīmī sedēns prōcērus Iuppiter sic ēnūntiat: 'Deī cōnscrīptī Mūsārum albō, adolēscentem istum quod manibus meīs alumnātus sim, prōfectō scītis omnēs. cuius prīmae iuventūtis calorātōs impetūs frēnō quōdam coercendōs exīstimāvī; sat est cōtidiānīs eum fābulīs ob adulteria cūctāsque corruptelās īnfāmātum. tollenda est omnis occāsiō et luxuria puerīlis nuptiālibus pedicīs alliganda. puellam ēlēgit et virginitāte prīvāvit: teneat, possideat, amplexus Psychen semper suīs amōribus perfruātur. 'et ad Venerem conlātā faciē, 'nec tū,' inquit, 'fīlia, quicquam contrīstere nec prōsapiae tantae tuae statūque dē mātirimōniō mortālī metuās. iam faxō nuptiās nōn imparēs, sed lēgitimās et iūre cīvīlī congruās.' et īlico per Mercurium arripī Psychen et in caelum perducī iubet. porrēctō ambrosiae pōculō, 'sūme,' inquit, 'Psychē, et immortalis estō, nec umquam dīgrediētur ā tuō nexū Cupīdō, sed istae vōbīs erunt perpetuae nūptiae.'